PRO

Fausto ingressu, Beato successu

GAUDIORUM HYMENEIORUM

VIRI REVERENDI ET CLARISSIMI

DN. M. BRINOLFI SVENONII,

Διοικήσιος SCHALHOLTENSIS in Meridionali, Australi, occidentalique Islandia Episcopi vigilantissimi,

SIMUL AC

HONESTISSIMÆ PUDICISSIMÆQUE VIRGINIS

MARGRETÆ HALDORI F.

SKRIDÆ Horgardalensis, 30 Augusti, Anni 1640 fœliciter, paratorum.

Animi sui contestandi τεκμήριον hoc qualecunque posuit

SIGFUSERUS EGILLIUS Isl.



Lim Lycei Numina Pythij
Tutum Noveni & præsidium chori (bat
Mulcere votis haud pige-
Ardalidum citharæ ministros.
Dum celsa Regum, dum fera principum
Martis cruenti parta laboribus.
Cultos per orbem publicando
Concinerent monumenta libros.
Tædæ jugalis fœdera, dum brevi
Annitor oda dicere, non Jovem
Oro, nec huic, quam Diva fertur
Mnemosine peperisse prolem.
JEHOVA cœli conditor & soli
Vastæque abyssi; te voco, te sine
Est irritus conatus omnis,
Annue; tu mihi carmen esto.
Postquàm cre..sset templa Deus poli,
Terræq; molem, salsaq; flumina
His alitum turmam locando
Reptile squamigeramq; prolem.
Primos parentes condidit ultimò,
Illisq; rerum tradidit omnium
Regale sceptrum, quæ foventur
Aere vel fluviis vel arvis.
Hierarchiarum terna Diespiter
Ponebat altis fulcra tenoribus,
Mundi Iubar fulgens ut essent,
Lux velut alma domo coruscat.
Isthæc præibat Munia, vinculi
Fœdus jugalis, quod sequitur sacer
Ecclesiastes; cui forensis
Aucta comes Politia Iuris.
Dotes, supremo quod Thalami, loco
Sint, hinc patescit, nam Deus his potens
Primos adornavit parentes
Haut vitij maculâ notatos.
At poma postquam sunt vetitæ arboris
Comesta; Mystes verbi potens, fori
Tutorq; legum, destinatas
Officij tenuere claves.
Quis laude digna conjugium vehat?
Res est salubris res venerabilis.
Virtute gens humana cujus
Per patulum sobolescit orbem.
Res sancta dici nec poterit minus,
Nam Patriarchæ, turbaq; nobilis
Vixere lecti sub jugalis
Fœdere, Magnanimiq; Reges.
Evexit illud laudis honoribus
Divinitatis fons Pater inclytæ,
Dum conjuges primos virentis
In medio sociaret horti.
Hoc Christus altis laudibus evehit
Fulgens imago qui patris est sui,
Dum nuptiali subministrat
Nobile lætitiæ falernum.
Sanctusq; vivam spiritus exhibet
Laudem; retorquet pagina quod sacra:
PRÆSTABILI DIGNUM EST UBIQUE
CONIUGIUM VENERATIONE.
Illud cohortes Angelicæ evehunt,
Quæ semper adsunt conjugibus piis
Prolemq; defendunt tenellam,
Cui vetus insidiatur hostis.
In servit hujus deniq; laudibus,
Quod conjugalis sit quasi copula
Inter Redemptoris, perennem
Verbigenæ λόγον atq; carnem.
Sexus ut est vir fœminei caput,
Humanitatis, sic λόγος & suæ:
Ut dona sponsæ sponsus offert
Sic λόγος omnipotensq; carni.
Ut ipse sponsam sponsus amabilem
Augusta tecti ducit ad atria,
Ascensionem per beatam
Duxit ad astra λόγοςq; carnem.
Cum tanta lecti gloria, dignitas,
Splendor, venustas sit socij; pio
Encomio tollant ad arces
Sidereas juvenes senesq;
Nec ut Menander, nec Sophocles vetus
Rem tàm decoram vituperabimus;
Causam esse cujus nesciebant.
Qui regit astra, Deum Triunum.
Tu sponse docti fulgur Apollinis,
Clarum salutat Portua quem novo
Plausu MAGISTRUM, grande sidus
Quem patriæ, dedit author ævi.
Nutu supremi commonitus Dei
Castam venustam ducere virginem
Dudum paras, faustis quod ipsum
Auspiciis tibi cedat, opto.
Velamen alarum exhibeat Deus
Tutum suarum, conjugibus novis
Totos dies; gignant pudici
Pignora, det, numerosa lecti.
Quæ suave norunt ingenium patris
Castæque matris assidue sequi
Ceu vitis ac ulmus maritæ
Nectaream genesin relinquunt.
Nec vos amantes connubialium
Conviviorum, dicere tædeat:
Hos arctet æterna nec unquam
Solvat amor socius catena.

(✠)

HAFNIÆ, LITERIS MARTZANIANIS, 1643.